



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus XI. De modo sedendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITULUS XI.

De modo sedendi.

1. **S**ub Horis Canonicis sedetur ad Lectiones & Martyrologium, exceptâ Vigiliâ Nativitatis Domini, de qua suo loco, ad Responsoria, si sit Officium sine notis, Cantore & Versiculario stantibus, dum Responsoria legunt, manentque stantes, donec Officiator benedictionem dedit pro sequenti Lectione ad Responsoria brevia, item ad Responsoria in Officio parvo B. M. V. omnes stant. Si Officium cantetur, etiam ad Responsoria, quæ tum organo luduntur, uterque chorus sedet, versum autem Cantores in medio cantant. Deficiente organo. Alternantibus choris cantentur Responsoria, versum autem cantant Cantor & Versicularius manentes tunc in loco suo.

2. Alternatim sedetur sub Psalmis, quibus etiam annumeratur canticum *Benedicite*. Dum Officium cantatur; excipe *Laudate Dominum de cælis*, & *Laudate Dominum omnes gentes*. Sub Psalmo *Laudate pueri Dominum*, postquam cantatum, *Sit nomen Domini benedictum*, sedere incipiunt. Sub Psalmis Gradualibus usque ad *Kyrie* exclusive. Et sub Vigilijs defunctorum, sub Psalmis, excepto *Laudate Dominum de cælis*, Antiphonis, Lectionibus, Responsorijs, sedet uterque chorus, ad Responsoria alternantibus choris Cantor & Versicularius stant. Si Vigilia solemniter cantentur. Ad Antiphonas statur. Ad Responsoria alternantibus choris statur & sedetur. Ad nonum Responsorium ab utroque choro statur, Cantoribus illud in medio intonantibus, utroque choro prosequente, prout hactenus in Provincia consuetum est.

3. Quando alternatim sedetur, 2dus chorus sedere incipit.

4. In Missa sedetur ad *Epistolam*, & *Prophetias*: *Graduale*: Quod si alternatim cantetur, alternatim statur & sedetur, si pulsetur Organum, sedetur, ad *Tractum* alternatim, ad *Alleluja*, dum id Cantores in

S

medio

medio incipiunt, mox omnes surgunt & prosequuntur, ut moris est. Sub Versu chorus sedet, illius finem iterum chorus stans cantat. Ad *Offertorium*, nisi à choro sit cantandum, eo tamen absoluto sedetur usque ad incensationem, quæ si non fuerit; usque ad Præfationem.

5. Quando communitas sedet, nemini transeunti assurgit, nisi Patri Guardiano: si tamen in choro vel refectorio fuerit præsens R. A. P. Minister Provincialis, Tum Guardiano non assurgit, uti nec Ministro Provinciali, si communitati interfit Reverendissimus Pater Commissarius generalis, sed tum illi, sicut & aliis Sacerdotibus transeuntibus caput tantum inclinatur. Et soli Prælato digniori assurgit.

TITULUS XII.

De discooperiendi et cooperiendi capite.

1. **C**aput non media ex parte, sed totum nudandum est, quando est discooperiendum; & in tegendo, vel denudando, utraque manus, aut minimum dextra adhibetur.

2. Caput denudatur ad initia omnium Horarum usque ad *Alleluja* vel *Laus tibi Christe* inclusivè. Ad Invitatorium, Hymnos, Absolutiones. *Te Deum laudamus*. Psalmum *Laudate Dominum de caelis*, & *Laudate Dominum omnes gentes*. Cantica, *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*. Totum Officium parvum B. V. M. *Confessionem*, *Symbolum Athanasij*. Item ad *Preiosa* usque ad finem Primæ. Ad Antiphonas finales B. M. V. ad quorumcunque Sanctorum Commemorationes, & Suffragia communia, ad omnes Collectas. Et generaliter caput denudandum est, quancumque genuflectitur, exceptis Psalmis Pœnitentialibus & recollectione, & quotiescunque fit inclinatio sive versus altare, sive versus chorum. Si Venerabile sit expositum semper sunt capite detecto. Dum aliquid legunt vel cantant in medio, sive Lectiones sive aliquid aliud, vel dum soli in locis suis legunt Antiphonas, Responsorialia, &c. caput detegunt. Item quotiescunque
accedunt